

cognoscit se tali loco per peccatum privatum, ad peccatum vitandum incitatur, & ad miseriam suam cognoscendam.

Ad secundum dicendum, quod sicut peccati infectio non venit ad creaturas alias, nisi per creaturam rationalem peccantem; ita etiam illa infectio, si-ve corruptio, non in irrationalis creaturæ penam ordinatur: unde non oportet quod locus ille per peccatum inficiatur in quo homo, & Angelus peccavit, scilicet paradisi terrestris, & cælum empyreum, sed illa loca quæ peccantibus deputata sunt post peccatum.

Ad tertium dicendum, quod illa impedimenta ratione quorum inaccessible dicitur paradisi terrestris, forte hic gladius flammeus vocantur: quia præcipue locus ille inaccessible videtur propter intemperatum calorem in locis intermediis: & ideo non sequitur quod huiusmodi impedimenta superflua sint.

Ad quartum dicendum, quod quamvis homo post peccatum lignum vitæ sumpsisset, mortem evadere non potuisset; potuisset tamen mortem differre, ita ut vita ejus auxilio ligni vitæ prolongaretur, sicut de Enoch, & Elia creditur: & hoc homini non expeditur, ut tamdiu in hac misera vita permaneret. Et verba illa Domini sunt magis accipienda per modum compassionis quam insultationis. Vel potest dici, sicut dicit Magister in littera.

Ad quintum dicendum, quod etsi homo ante peccatum de ligno vitæ sumpsisset, non tamen immortalitatem consecutus fuisset, quam lignum vitæ conferre non potuit, nisi frequenter sumptum. Et ideo.

Ad sextum dicendum, quod lignum vitæ non erat causa per se immortalitatis, ut ex prædictis patet, sed potius erat ut dispositio quædam. Dispositio autem non perducit ad effectum nisi multiplicata, sicut patet in qualitatibus activis, & passivis, quæ sunt dispositiones ad formam elementi: non enim inducitur forma elementi, nisi quando perducitur materia ad intensionem qualitatibus illarum.

DISTINCTIO XXX.

Quod per Adam, peccatum, & pœna transivit in posterum.

IN superioribus insinuat est, licet ex parte, non enim perfecte sufficimus (4) exponere, qualiter primus homo deliquerit, & quam pro peccato pœnam subierit: quibus adiciendum est, peccatum simul, ac pœnam per eum transisse in posterum, sicut Apostolus ostendit, iniquis, Rom. v. 12. Sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit; (5) ita & in omnes homines mors pertransiit.

Utrum illud peccatum fuerit originale, an actuale.

HIC primo videndum est, quod fuerit illud peccatum, originale scilicet, an actuale; & si de originali intelligatur, consequenter quid sit originale peccatum, & quare dicatur originale, & quo modo pertransierit, vel pertransiatur in omnes, diligenter investigandum est. Quibusdam placuit de peccato actuali Adæ illud accipere, asserentibus hoc Apostolum sensisse, cum inferius, ibid. 19. ait: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obedientiam iusti constituentur multi. Evidenter, inquit, etiam ipso nomine exprimit Apostolus peccatum, quod per unum hominem intravit in mundum, scilicet inobedientiam. Inobedientia vero peccatum actuale est. Hoc autem dicunt intrasse in mundum, non translatione originis, sed similitudine prævaricationis. Omnesque (6) in illo uno peccato peccasse dicuntur, quia omnibus ille unus peccandi exemplum extitit. Hoc male senserunt quidam hæretici, qui dicuntur.

(1) Al. Nicolai inceptionem. (2) Forte & carpebat, ut Nicolai legit. (3) Al. quamvis. (4) Al. deest exponere. (5) Vulgata: & per peccatum mors, & ita &c. (6) Al. deest in, deest item al. peccato.

EXPOSITIO TEXTUS.

Operatur liberando, & præparando: ut liberatio referatur ad expulsionem peccati, & præparatio ad informationem animæ.

Non tamen justitiæ habendæ, vel retinendæ. Contra. Supra dictum est, quod quamvis homo non haberet unde proficere posset, habuit tamen unde posset stare. Ergo liberum arbitrium sufficiebat ad justitiæ retinendam. Et dicendum, quod ab eadem causa est esse rei, & conservatio ejus: unde sicut esse justitiæ gratuite non est nisi à Deo, ita etiam & conservatio ejus. Sed verum est quod homo habens gratiam non indiget alia gratia ad ejus conservationem: & propter hoc dicitur, quod homo potest per se stare.

Quibus respondentes, dicimus, eum quidem non tunc habuisse has virtutes quando peccavit; sed ante, & tunc amississe. Videtur hoc falsum: quia si quando peccavit, non habuit, tunc prius amisit quam peccaret; quod videtur falsum. Sed dicendum, quod ante (1) intentionem peccati habuit virtutes; sed simul ista duo fuerunt, commissio peccati, & amissio virtutis; sicut unum est instans in quo expellitur nigredo, & inducitur albedo.

Homo ante peccatum beatissimus auram carpebat ætheream. Non est intelligendum de patriæ beatitudine, sed secundum quod beatitudo includit talem perfectionem qualis illi statui congruebat: (2) & carpebat auram ætheream, inquantum fixus in divinorum contemplatione manebat.

Atque usi fuisse concessis. Ex hoc non sufficienter probatur, (3) quod homo in statu illo de ligno vitæ comedebat. Præceptum enim affirmativum non obligat ad semper: unde etsi præceptum sibi fuerit quod lignis omnibus concessis uteretur, potuit tamen eum alicujus eorum differre usque ad terminum sibi à Deo præfinitum: & ideo à quibusdam non conceditur quod Magister hic determinat. Sed quid verius sit, determinari non potest; cum Scriptura non determinet, nec ratione probari possit.

DISTINCTIO XXX.

dicti sunt Pelagiani; de quibus Augustinus in I. Libro de Baptismo parvulorum, cap. ix. commemorat, dicens: Sciendum est, hæreticos quosdam, qui nominati sunt Pelagiani, dixisse peccatum primæ transgressionis in alios homines non propagatione, sed imitatione transisse. Unde etiam in parvulis nolunt crederi, dere per baptismum solvi originale peccatum, quod in nascentibus nullum esse omnino contendunt. Sed eis dicitur, quia si Apostolus peccatum imitationis, non propagationis, intelligi voluisset, ejus principem non Adam, sed diabolum diceret; de quo in Libro Sapientiæ, cap. 11. 4. dicitur: Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: & quia non vult intelligi hoc esse factum propagatione, sed imitatione; continuo subjungit Scriptura: Imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius. Imitantur quidem Adam quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei. Sed aliud est quod exemplum ex voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Non est igitur accipiendum peccatum Adæ transisse in omnes imitationis tantum exemplo; sed propagationis, & originis vitio.

Hic aperit, illud esse peccatum originale quod transiit in posterum. Et est illud peccatum originale, ut aperte Augustinus testatur, de Trinitate, Lib. XII. cap. xvi, quod per Adam transiit in omnes, per ejus carnem vitiatam concupiscentialiter generatos. (7)

Quid sit originale peccatum, inquiritur.

Quod diligenter investigandum est quid sit. De hoc enim Sancti doctores sub obscuritate locuti sunt, atque scholastici lectores varia senserunt. Quidam enim putant, originale peccatum esse reatum pœnæ temporali, & æternæ pro primi hominis actuali peccato: quia pro illo, ut ajunt, omnibus debetur pœnæ æternæ, nisi per gratiam liberentur. Juxta horum sententiam oportet dici, originale peccatum nec pœnam, nec culpam esse. Culpam non esse ipsi fatentur: pœna quoque secundum eos esse non potest; quia si debitum pœnæ originale peccatum est, cum debitum pœnæ non sit pœna, nec originale peccatum est pœna. Quod etiam quidam eorum admittunt, dicentes, in Scriptura originale peccatum sæpe nominari reatum; & reatum illi intelligunt, ut dictum est, obnoxietatem pœnæ. Et ea ratione asserunt peccatum originale dici esse in parvulis, quia parvuli pro ipso primo peccato rei sunt pœnæ; sicut pro peccato iniqui parentis aliquando exulant filii secundum justitiam fori.

Quod originale peccatum culpa sit, auctoritatibus probat.

SED quod originale peccatum culpa sit, pluribus Sanctorum testimoniis edocetur. Super Exodum, cap. xxi. ubi dicitur: Primogenitum asini mutabis ove: Gregorius (a) ait: Omnes qui in peccato nati sumus, & ex carnis delectatione concepti, culpam originalem nobis contraximus: unde & voluntate nos, ita peccatis implicamur. Ecce culpam originalem dicit nos trahere: unde constat, originale peccatum culpam esse. Augustinus quoque in Lib. de Natura & gratia, cap. iv. de hoc eodem sic ait: Omnes, ut ait Apostolus, peccaverunt, utique vel in seipsis, vel in Adam: quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter attraxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. (8) Peccatum enim primi hominis non solum ipsum, sed omne (9) nocuit genus humanum: quia ex eo damnationem simul, & culpam suscepimus. Idem super Psal. l. Quod de corpore mortuo seminatur, cum vinculo peccati originalis nascitur, & mortis. Ideo igitur se iniquitatibus conceptum dicit David, quia in omnibus trahitur iniquitas ex Adam, & vinculum mortis: nemo enim nascitur nisi trahens pœnam, & meritum pœnæ. Meritum autem pœnæ peccatum est. Omnis ergo qui nascitur per carnis concupiscentiam, peccatum trahit. Peccatum itaque originale culpa est, quam omnes concupiscentialiter concepti trahunt. Unde in ecclesiasticis Dogmatibus, cap. xxi. scriptum est: (10) Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem.

(7) Addit Nicolai. In Libris enim de Trin. Lib. XIII. cap. xvi. sic loquitur: Quoniam propter unum hominem tenebat diabolus omnes per ejus vitiatam carnalem concupiscentiam generatos, justum est ut propter unum dimittat omnes per ipsius immaculatam gratiam spirituales regeneratos. & epist. lxxxix. Dicunt infanem morte præventum non baptizatum perire non posse, quoniam sine peccato nascitur. Non hoc dicit Apostolus: & arbitror esse melius ut Apostolo potius quam illis credamus. Dicit enim ille Doctor gentium, in quo Christus loquebatur: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita mors in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt: & paulo post dicit: Nam judicium quidem ex uno delicto in condemnationem. Proinde isti quem forte invenerint infantem non ex illius unius hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicam illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi gratiam ab illa damnatione liberandum. Quid est enim, ex uno delicto in condemnationem, nisi illo delicto quo deliquit Adam? Et de baptismo parvulorum ut supra Lib. I. cap. xii. Diligentius intueri quod ait Apostolus: Judicium ex uno in condemnationem. Quo uno nisi delicto? Quia sufficeret ad condemnationem, etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum. (8) Nicolai, Et in Hypognost. Lib. II. prope finem. (9) Al. necavit. (10) Nicolai, Firmissime credendum est, in prævaricatione Adæ omnes homines naturaliter innocentiam perdidisse; & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit. Et de Fide ad Petrum cap. xxvi. Firmissime tene, & nullatenus dubites &c. In notis vero. Illud porro quod ex ecclesiasticis Dogmatibus, ac de Fide ad Petrum subjungitur, & prius unum pro altero positum erat, quamvis inter opera Augustini recenseatur, ejus non est, sed Gennadii Massiliensis quoad primum, & Fulgentii quoad secundum.

Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Immo potius Patetius cum operibus Gregorii editus, in commentario super Exod. cap. xx. quamvis ex Gregorio Glossa referi Lib. XXVII. Moral. cap. i. sed perperam.

minem qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subiectum; & ob hoc natura ira nasci filium; a qua nullus liberatur nisi per Mediatoris Dei & hominum. His aliisque auctoritatibus evidenter ostenditur, peccatum originale culpam esse, & in omnibus concupiscentialiter genitis irahi a parentibus.

Quid sit quod dicitur originale peccatum, scilicet fomes peccati, idest concupiscentia.

Nunc superest videre, quid sit ipsum originale peccatum: quod cum non sit actuale, non est actus sive motus animae, vel corporis. Si enim actus est animae, vel corporis, actuale utique peccatum est. Sed actuale non est. Non est igitur actus, vel motus. Quid igitur? Originale peccatum dicitur fomes peccati, scilicet concupiscentia, vel concupiscibilis, quae dicitur lex membrorum, sive languor naturae, sive tyrannus qui est in membris nostris, sive lex carnis. (11) Unde Augustinus in Libro (12) de Verbis Domini serm. xii. Est in nobis concupiscentia, quae non est permittenda regnare. Sunt & ejus desideria, quae sunt actuales concupiscentiae, quae sunt arma diaboli, quae veniunt ex languore naturae. Languor autem iste tyrannus est, qui movet mala desideria. Si ergo vis esse victor tyranni, atque inermem inimicum in micum invenire, non obedias concupiscentiae mala. His verbis satis ostenditur, fomitem peccati esse concupiscentiam.

Quid nomine concupiscentiae intelligitur, quae dicitur fomes peccati.

Nomine autem concupiscentiae non actum concupiscendi, sed vitium primum significavit, cum eam dixit legem carnis. Unde idem in tractatu de Verbis Apostoli sic ait. Semper pugna est in corpore, mortis hujus: quia ipsa concupiscentia, cum qua nati sumus, finire non potest: quamdiu vivimus, quod tidie minui potest, finire non potest. Quae autem est concupiscentia, cum qua nati sumus? Vitium utique est quod parvulum habilem concupiscere facit, adultum etiam concupiscentem reddit: sicut enim in oculo caeci in nocte vitium caecitatis est, sed non apparet, nec discernitur inter videntem & caecum nisi luce veniente; sic in puero vitium esse non apparet, donec aetatis provectionis tempus occurrat. Ex his datur intelligi, quid sit originale peccatum, scilicet vitium concupiscentiae, quod in omnes concupiscentialiter natos per Adam intravit, eosque commaculavit. Unde Augustinus in Lib. I. cap. ix. de Baptismo parvulorum: Adam praeter imitationis exemplum, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiae suae tabificavit in se omnes de sua stirpe venturos. Unde Apostolus recte ait Rom. v. 12. In quo omnes peccaverunt, & sine ambiguitate dicit hoc Apostolus. Sive enim intelligatur, in quo homine, sive in quo peccato, sanum est. In Adam enim omnes peccaverunt ut in materia, non solum ejus exemplo, ut dicunt Pelagiani. Omnes enim ille unus homo fuerant, idest in eo materialiter erant. Manifestum est itaque omnes in Adam peccasse quasi in massa. Ipse enim per peccatum est corruptus: quos genuit, omnes nati.

(11) Nicolai. Unde Augustinus in Lib. de verbis Domini (serm. XLIII.) Vultis ut non sint omnino concupiscentiae male? Non potestis. Exerceate bellum, & sperate triumphum. Facite quod potestis, nempe quod Apostolus ait (ad Rom. vi.) Non regnet peccatum in mortali corpore vestro ad obediendum desideriis ejus. Ecce, quod nolo, mala desideria surgunt; sed noli obedire. Armate, sive instrumenta bellorum. Praecepta Dei arma tua sunt. Non regnet (inquit) peccatum. Quid est, Non regnet? Idest ad obediendum desideriis ejus. Si ceperitis obedire, regnat. Et quid est obedire, nisi ut exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato? Et de continentia cap. III. Est in nobis concupiscentia quae non est permittenda regnare (scilicet concupiscentia peccati). Sunt & ejus desideria, quibus non est obedendum, ne in obediendis regnet. Propter quod membra nostra non sibi usurpet concupiscentia; sed sibi vendicat continentia; ut sint arma justitiae Deo, ne sint arma iniquitatis peccato. Et cap. VII. Nunc bellum est, quoniam salus nondum est. Languor sanetur, pax est. Languorem istum culpa meruit; natura non habuit, quam sane culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remisit; sed sub ejusdem medici manibus adhuc natura eum suo languore conflagrat. Et cap. VIII. Sunt ergo in nobis desideria mala, quibus non consentiendo non vivimus male: sunt in nobis concupiscentiae peccatorum, quibus non obediendo non perficimus malum. Et de baptismo parvul. Lib. II. cap. IV. Concupiscentia, tamquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis nascitur, in baptizatis a reatu solvitur, sed ad agonem relinquitur, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura. Et inferius: Manet malum in carne nostra; non natura in qua divinitus creatus est homo; sed vitio quo voluntate prolapsus est: cui malo nos non obedire praecipit Apostolus, cum dicit: Non ergo regnet &c. Et cap. XVIII. Haec autem lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus, manet in venustate carnis tamquam superatorem, & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reviviscat, & in regnum proprium dominionemque revocetur. Et epist. XXI. Quis ergo sine aliquo vitio, idest fomite quodam, vel radice peccati? Ut & serm. XII. de verbis Apostoli cap. V. Quid est Non regnet? Ad obediendum desideriis. Non dixit, Noli habere desideria mala; sed, Non eis obediatur, ne iniquitas dominetur. Cum enim non sunt membra tua arma iniquitatis, est quidem iniquitas in membris tuis in desideriis illicitis, sed non regnat. Concupiscentia carnis tua languore rebellat adversus te; languor iste tyrannus est. Si vis te tyranni esse victorem, Christum invoca Imperatorem. Et cap. III. Vide ne sorte carni mens tua consentiat. His verbis &c. Ad marginem vero haec notat. Pro his omnibus quae supplemus, pauca tantum editiones aliae dabant vel ex serm. XII. de verbis Domini indistincte, vel ex Lib. de peccat. mer. & remiss. seu de baptis. parv. sine ullo indice speciali. Sed nullibi occurrunt sub his verbis, & ex locis dumtaxat hic additis colligi possunt. (12) Al. de Baptismo parvulorum.

Ex Edit. P. Nicol. (b) Immo verbis paululum immutatis, serm. XLV. qui secundus est pro dominica II. post octav. Epiphaniae, sed super illud Apostoli ad Roman. VII. Non quod volo, facio bonum: ex quo forte factum est, ut velut ex tract. de verbis Apostoli Magister id referret.

nati sunt sub peccato. Ex eo igitur sicut cuncti constituti sunt peccatores; ita & in illo uno peccato quod intravit in mundum, recte omnes dicuntur peccasse: quia sicut ab illo uno homine; sic ab eodem uno peccato immunes esse non possunt, nisi ab ejus reatu per Christi baptismum absolvantur. Alia ergo propria sunt peccata, in quibus tantum peccant quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt; idest, ex quo omnes peccatores constituti sunt.

Quod sit peccatum in quo omnes peccaverunt, scilicet originale, quod ex inobedientia processit.

HOC est originale peccatum, quo peccatores nascuntur omnes concupiscentialiter geniti: quod ex Adam, sive ex ejus inobedientia emanavit, & in posteros demigravit. Unde Apostolus consequenter per inobedientiam unius hominis multos dicit esse constitutos peccatores, quae est actuale peccatum; (13) cum ante dixerit, per unum hominem peccatum intrasse in mundum, & in eo omnes peccasse: quod est originale (14) dictum esse oportet accipi.

Ex quo sensu dictum est, per inobedientiam unius multos constitui peccatores.

Quod ergo ait: Per inobedientiam unius multi constituti sunt peccatores: eo sensu dictum esse intelligendum est, quia ex inobedientia Adae, scilicet ex peccato actuale Adae, processit originale peccatum, quo omnes peccatores nascuntur, ut & in illo esset, & in omnes transiret.

Quod peccatum originale in Adam fuit, & in nobis est.

Unde Augustinus, Juliano haeretico nullum peccatum in parvulis esse contententi respondens: (c) aperte asserit, peccatum originale ex voluntate Adae processisse, ac per ejus inobedientiam in mundum intrasse. Querit enim Julianus per quid peccatum invenitur in parvulo, ita inquit: Non peccat, iste qui nascitur; non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit. Per quas igitur rimas inter torres praesidia innocentiae, peccatum fingis ingressum? Et respondet ei sancta pagina Rom. v. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum. Per unius inobedientiam, ait Apostolus ibid. 19. Quid querit, amplius? quid querit apertius? Item inquit Julianus: Si per hominem unum peccatum in mundum intravit; peccatum vel ex voluntate, vel ex natura est. Si ex voluntate est, mala est voluntas, quae peccatum facit; si ex natura est, mala est natura. Cui respondeo: Ex voluntate peccatum est. Querit forte, utrum originale peccatum ex voluntate sit. Respondeo, prorsus & originale peccatum ex voluntate esse: quia hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut & in illo esset, & in omnes transiret.

Obiectio quorundam contra id quod supra dictum est, omnes homines in Adam fuisse.

Ad hoc autem quod diximus, in Adam fuisse omnes homines, quidam verborum sectatores sic obijciunt, dicentes: Non omnis caro quae ab Adam traducta est, in eo simul existere potuit, quia (15) multo majoris quantitas est quam fuerit corpus Adae: in quo nec tot etiam atomi fuerunt, quot ab eo homines descenderunt. Quocirca verum non esse asserunt, substantiam uniuscujusque in primo fuisse parente.

Responsio, ubi aperitur, qualiter fuerunt in Adam secundum rationem seminales, & quomodo ex eo descenderrint, scilicet propagationis lege.

Quibus responderi potest, quia materialiter, atque causaliter, non formaliter, dicitur fuisse in primo homine omne quod in humanis corporibus naturaliter est: descenditque a primo parente lege propagationis, & in se actum, & multiplicatum est, nulla exteriori substantia in id transiente, & ipsum in futuro resurget. Fomentum quidem habet a cibis, sed non convertuntur cibi in humanam substantiam, quae secundum propagationem descendit ab Adam. Transmisit enim Adam modicum quid de substantia sua in corpora filiorum quando eos procreavit; idest, aliquid modicum de massa substantiae ejus divisum est: & inde formatum est corpus filii, suique multiplicatione sine rei extrinsecae adjectione actum est: & de illo ita augmentato aliquid (16) inde separatur, unde formantur posterorum corpora; & ita progreditur procreationis ordo lege propagationis usque ad finem humani generis. Itaque diligenter, ac perspicue intelligentibus patet, omnes secundum corpora in Adam fuisse per seminales rationem, & ex eo descendisse propagationis lege.

Auctoritate, & ratione probatur, nihil extrinsecum converti in humanam substantiam quae ab Adam est.

Quod vero nihil extrinsecum in humani corporis naturam transeat, Veritas in Evangelio (Math. xv. 17.) significat, dicens: Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Quod etiam ratione ostendi potest hoc modo. Puer qui statim post ortum moritur, in illa statuta resurget quam habiturus erat, si viveret usque ad aetatem triginna annorum, nullo vitio corporis impeditus. Unde ergo illa substantia quae adeo parva fuit in ortu, in resurrectione tam magna erit, nisi sui multiplicatione in se? Unde apparet quod etiam si viveret, non aliunde, sed in se augmentaretur illa substantia; sicut costa de qua in II. Sent. Tom. II.

(13) Cum autem, praemisso puncto affirmationis, & deinde omisso quod. (14) Al. dictum est, oportere accipi. (15) Al. multo fortius quantitas est. (16) Al. itidem.

Ex Edit. P. Nicol. (c) Non in illis unisque Libris quos contra Julianum scripsit, sed in Lib. II. de nuptiis, & concupisc. cap. XXI. ubi ad Valerium scribens, Juliani objectiones refert, ac refellit.

facta est mulier: & sicut panes evangelici. Non inficiamur tamen quin cibi, & humores in carnem, & sanguinem transeant; sed non in veritatem humane nature, que a primis descendit parentibus: que sola in resurrectione erit; reliqua vero caro in quam cibi transeunt, tamquam superflua in resurrectione deponetur que tamen ciborum, aliarumque rerum fomentis coalescit.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit lapsum humane nature quantum ad peccatum primorum parentum, in parte ista incipit determinare, quomodo natura humana vitata est in posteris; & dividitur in partes duas. In prima determinat de peccato quod a primis parentibus in posteros eorum transivit per carnis originem, scilicet de peccato originali. In secunda determinat de peccato quod transivit in posteros per imitationem operis, scilicet de peccato actuali, xxxiv. dist. Post predicta, de peccato actuali diligenti indagine quadam consideranda sunt. Prima dividitur in duas. In prima determinat de peccato originali, ostendendo, an sit, & quid sit. In secunda determinat quasdam conditiones ejus, xxxv. distinct. Nunc superest investigare, qualiter peccatum a patribus traducatur in filios. Prima dividitur in duas. In prima determinat de peccato originali secundum veritatem; in secunda excludit quasdam objectiones, quibus peccati originalis tractatio impugnatur, ibi: Quod ergo ait, per inobedientiam unius multi constituti sunt peccatores, eo sensu dictum esse intelligendum est, quia ex inobedientia Adæ, processit originale peccatum. Prima dividitur in duas. In prima ostendit aliquod peccatum a primis parentibus in posteros transire; in secunda inquit, quid sit illud, ibi: Hic primo videndum est, quod fuit illud peccatum. Et dividitur in partes duas. In prima inquit, an sit peccatum actuale, vel non, quod dicit Apostolus per unum hominem in mundum intravisse: ostendens quod est peccatum originale, & non actuale. In secunda iterato inquit, quid sit illud originale peccatum, ibi: Quod diligenter investigandum est quid sit. Circa primum tria facit. Primo movet questionem. Secundo excludit falsam opinionem quorundam, hoc exponentium de peccato actuali tantum, ibi: Quibusdam placuit de peccato actuali Adæ illud accipere. Tertio ostendit, hoc intelligi de originali peccato; ibi: Et est illud peccatum originale. Quod diligenter investigandum est quid sit. Hic inquit, quid sit peccatum originale; & dividitur in partes duas. In prima inquit, quid sit secundum genus moris; in secunda, quid sit secundum genus nature, ibi: Nunc superest videre quid sit ipsum originale peccatum. Circa primum duo facit. Primo ponit quorundam opinionem, qui peccatum originale reatum tantum esse dicebant, & non culpam. Secundo ostendit peccatum originale culpam esse, ibi: Sed quod originale peccatum culpa sit, pluribus Sanctorum testimonis edocetur. Quod ergo ait, per inobedientiam unius multi constituti sunt peccatores, eo sensu dictum esse intelligendum est, quia ex inobedientia Adæ, processit originale peccatum. Hic excludit objectiones peccatum originale impugnantes: & dividitur in duas. In prima excludit objectiones que impugnant directe peccatum originale; in secunda excludit objectionem que impugnat peccatum originale quantum ad causam ejus, que est carnis tractio, ibi: Ad hoc au-

Ex Edr. P. Nicol. (a) In excerptis quibusdam inter ejus opera recensitis, que tamen ejus non sunt, nempe in illis que incipiunt, Licet cunctorum. Sic autem vere ipse dissimili sensu epist. cxxii. Mors malum non est; sola jus aequum est generis humani: & Lib. VI. natur. Qq. in ipso fine Lib. Mors natura lex.

tem quod diximus, in Adam fuisse omnes homines, quidam verborum sectatores sic obijciunt. Circa primum duo facit. Primo excludit objectionem Pelagii ex auctoritate procedentem; secundo excludit objectiones duas Juliani, qui ratiocinando originale peccatum impugnabat: quarum prima incipit, ibi: Unde Augustinus Juliano hæretico. respondens aperte asserit: peccatum originale ex voluntate Adæ processisse.

Ad hoc autem quod diximus in Adam fuisse omnes homines, quidam verborum sectatores sic obijciunt. Hic excludit objectiones eorum qui peccatum originale impugnant ex parte cause ejus, que est carnis tractio ex uno, in quo omnes materialiter fuerunt; & circa hoc tria facit. Primo movet objectionem; secundo ponit responsum, ibi: Quibus responderi potest; tertio ponit responsionis confirmationem, ibi: Quod vero nihil extrinsecum in humani corporis naturam transeat, Veritas in Evangelio significat.

QUESTIO I.

HIC est duplex questio. Prima de peccato originali. Secunda de traductione carnis, Circa primum quarantur tria.

Primo. An pro peccato primorum parentum in nos isti defectus devenerunt quos sentimus, sicut, necessitas moriendi, & hujusmodi, per modum quo pena consequitur culpam.

Secundo. Utrum defectus aliquis ex primis parentibus in nos devenire potuerit qui rationem culpæ habeat.

Tertio. Supposito quod sic, quaritur, quid sit originalis culpa, que a parentibus contrahitur.

ARTICULUS I.

Utrum defectus quos sentimus, sint nobis quasi pena pro peccato primi hominis.

1. AD primum sic proœditur. Videtur quod defectus quos sentimus, non sint nobis quasi pena pro peccato primi hominis inflicta. Sicut enim dicit Seneca (a) ad Lucil. cap. ix. Mors est hominis natura, non pena. Inter omnes autem defectus mors major est: unde & finis terribilium a Philosopho in III. Ethicor. dicitur. Ergo nec etiam alii defectus penæ deberent dici, qui naturam humanam consequuntur.

2. Præterea. Quæcumque inveniuntur in aliquibus ex eisdem principiis creata, secundum rationem unam in illis inveniuntur, cum ex unitate principiorum pendeat unitas rei. Sed mors, fames, sitis, & hujusmodi inveniuntur ex eisdem principiis in homine ex quibus in aliis animalibus, scilicet ex pugna contrariorum, ex quibus corpus componitur. Cum igitur in aliis animalibus non sint sub ratione penæ, nec in homine tamquam penæ erunt.

3. Præterea. Non magis peccavit homo quam Angelus, immo minus; ut supra dictum est xxi. dist.

Ex Edr. P. Nicol. (a) In excerptis quibusdam inter ejus opera recensitis, que tamen ejus non sunt, nempe in illis que incipiunt, Licet cunctorum. Sic autem vere ipse dissimili sensu epist. cxxii. Mors malum non est; sola jus aequum est generis humani: & Lib. VI. natur. Qq. in ipso fine Lib. Mors natura lex.

distinct. Sed Angelus per peccatum nihil amisit de bonis naturalibus sibi collatis; ut Dionysius iv. de divin. Nom. dicit. Ergo nec homo. Si igitur de natura hominis esset ut corpus suum esset incorruptibile, & impassibile hoc per peccatum non amisisset. Cum igitur amisit, videtur quod non fuerit nature, sed gratiæ. Ergo & privatio horum non sicut pena naturam consequitur, sed sicut naturalis defectus.

4. Præterea. Omnis virtus naturaliter tendit in suum objectum. Sed virtutis concupiscibilis objectum est delectabile secundum sensum. Ergo quod concupiscibilis moveatur in illud, hoc non est pena, sed hominis natura: & similiter de irascibili, & de aliis viribus. Sed ex hoc causatur pugna virium inferiorum ad superiores quod unaquæque virtus in suum objectum movetur. Videtur ergo quod hujusmodi pugna sit naturalis homini, & non pena ejus, sicut dicitur.

5. Præterea. Nulli dicitur esse pena, si non attingat ad illud quod vires nature suæ excedit; sicut quod homo non potest volare, non est sibi pena. Sed pertingere ad videndum Deum in sua essentia, omnes vires humane nature excedit: alias homo ex naturalibus in illud venire posset. Ergo nec carentia visionis divine pena hominis dici debet; & ita nihil eorum que pena esse dicuntur primi peccati, rationem penæ habere videntur.

6. Sed contra. Omnis passio involuntaria pena est. Sed mors est passio maxime involuntaria, adeo quod nec senectus voluntatem non moriendi. Petro abstulerit, ut Joan. ult. in Glossa (b) dicitur. Ergo mors, & alia hujusmodi sunt penæ.

7. Præterea. Ut Philosophus dicit in II. de Anima text. xxvi. actus proprius fit in propria materia: unde oportet perfectionem perfectibili proportionatam esse. Sed anima rationalis, que est perfectio corporis humani, secundum suam naturam incorruptibilis est. Ergo & corpus humanum naturaliter incorruptibile est. Si ergo corrumpitur, hoc erit per defectum nature; & ita erit pena.

8. Præterea. Potentius non vincitur a minus potenti: quia agens est nobilius patiente, ut Philosophus in III. de Anima text. xix. dicit. Sed corpus humanum est nobilior aliis inanimatis corporibus. Si ergo ab eis patitur, hoc erit per infirmitatem nature ejus. Infirmitas autem, & defectus ejus quod secundum naturam in homine est, pena est. Ergo passibilitas a talibus corporibus est in homine quasi pena.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ea que sunt ad finem, disponuntur secundum necessitatem finis, ut ex II. Physic. text. lxxviii. patet. Finis autem ad quem homo ordinatus est, est ultra facultatem nature create, scilicet beatitudo, que in visione Dei consistit: soli enim Deo hoc connaturale est, ut ex dictis in xxi. dist. patet. Unde oportuit naturam humanam taliter institui, ut non solum haberet illud quod sibi ex principiis naturalibus debebatur, sed etiam aliquid ultra, per quod facile in finem perveniret. Et quia ultimo fini amore inherere non poterat, nec ad ipsum tenendum pervenire, nisi per supremam partem suam, que est mens, & intellectus, seu ratio, in II. Sent. Tom. II. non multum abest.

(1) Vulgata: Pulvis es, et in pulverem reverteris.

Ex Edr. P. Nicol. (b) Ex Augustino ipso sumpta tract. cxxiii. in Joan. sub finem super illud: a Christo dictum Petro Joan. xxi. Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis (c) Non sic expresse tamen, sed æquivalenter.

in qua imago Dei insignita est; ideo ut illa pars in Deum tenderet, subjectæ sunt sibi vires inferiores, ut nihil in eis accidere posset quod mentem retineret, & impediret ab itinere in Deum: & pari ratione corpus hoc modo dispositum est, ut nulla passio in eo accidere posset per quam mentis contemplatio impediretur. Et quia hæc omnia ex ordine ad finem, ut dictum est homini inerant; ideo facta deordinatione à fine per peccatum, hæc omnia in natura humana esse desiere, & relictus est homo in illis tantum bonis que eum ex naturalibus principiis consequuntur. Et hoc expresse Dionysius dicit III. cap. celest. Hier. sic inquit: Proprium autem principium habens homo in generationibus corruptibilibus, merito ad principium consequentem ductus est finem; idest, hoc ex peccato meruit ut cum ex principiis suis, ex quibus compositus est, sibi corruptio deberetur; reduceretur per peccatum ad talem finem qui suis principiis congrueret: & hoc accipitur ex hoc quod dictum est, Genes. III. 19. (1) Terra es, & in terram ibis: & anima.

Secundum hoc ergo dico, quod isti defectus; possunt ad naturam humanam dupliciter comparari: vel ad eam, secundum quod in principiis naturalibus suis tantum consideratur; & sic proculdubio non sunt penæ ejus, sed naturales defectus; sicut etiam esse ex nihilo, vel indigere conservatione, est defectus quidam naturalis omnem creaturam consequens, & nulli est pena: vel ad eam, prout instituta est; & sic proculdubio pena sunt sibi; quia etiam ex privatione ejus quod gratis alicui conceditur, postquam concessum est, puniri dicitur aliquis.

Ad primum ergo dicendum, quod Seneca, & alii Philosophi consideraverunt naturam humanam secundum ea que ex principiis suis naturalibus ipsam consequuntur: statum enim illum primæ conditionis scire non potuerunt, quem non nisi fides teneret; & ideo de morte non nisi sicut de naturali defectu locuti sunt; quamvis etiam naturalis defectus aliquo modo pena dici possit.

Ad secundum dicendum, quod alia animalia non sunt ordinata in finem qui facultatem naturalem ipsorum excedat; & ideo in illis tantum bonis creata sunt que eis ex principiis naturalibus debentur: unde non est similis ratio de homine, & de aliis animalibus.

Ad tertium dicendum, quod bona naturalia debentur dupliciter. Vel prout sunt in se considerata, secundum quod nature debentur ex propriis principiis; & sic nec homo, nec Angelus per peccatum aliquid naturalium amisit, vel in aliquo diminutus est: quia Dionysius etiam integra data naturalia in Angelis peccantibus permanere, dicit, IV. cap. de div. Nom. Vel secundum quod ordinantur in finem ultimum; & hoc modo in utroque bona naturalia diminuta sunt quidem, non penitus amissa, in quantum uterque factus est minus habilis, & magis distans à finis consecutione: & propter hoc etiam homo gratuitis spoliatus dicitur, & in naturalibus vulneratus, Luc. ix. in Glossa. (c)

Ad quartum dicendum, quod quodcumque multa conveniunt ad constitutionem alicujus, alicui eorum potest aliquid secundum se convenire naturaliter secundum naturam propriam, & aliquid convenit sibi secundum naturam totius; sicut patet de Oo 2

(1) Ex Edr. P. Nicol. (a) Lib. de ver. Relig. cap. xv.